



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 74. Maximilianus pacem cum Ludovico XI. inire detrectans

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

cessit, ut Camerensem comprehendi ju-
beret: ut vero Rex eo tutius animi sui
propositum occultaret, hinc se impotenti
indignationis impetu in Bressiæ Comitem
excaudescere simulabat, obtentu inde
quæsito, quod ipse non quidem propriæ
voluntatis motu, sed potius Camerensis
metu adactus, copiis adversus Geneven-
sem Episcopum conscriptis sese adjun-
xisset; Interea vero Bressiensis, cujus
fides in Sabaudia Procerum nemini su-
specta erat, quosdam aulæ Ministros sibi
devinciebat, atque inter ceteros præci-
pue Thomam de Salutiis, qui Taurinum
veniens sibi Ducis conclave, in quo Ca-
merensis decumbebat, aperiri jussit, ac
Comitem ex Regis mandato quantocius
comprehendi, & a quindecim circiter fa-
tellitibus custoditum carceri mandari
præcepit.

§. LXXIV.

*Maximilianus pacem cum Ludovico XI.
inire detrectans.*

Cum interea Comminæus secundis a-
deo votis in Sabaudia Ducis Pro-
vincia concredito sibi negotio defunge-
retur, Ludovicus XI. ad oppidum S.
Claudii in Comitatu Burgundiæ situm
proficiscitur, ut votum pro sua salute
nuncupatum ibidem exsolveret. Iter
non

Sæcul. XV.
A.C. 1481.

Sæcul. XV.
A.C. 1481.

non sine gravi molestia, quamvis non nunquam navi vectus, persecutus est, atque adimpleta voti religione primo Lugdunum rediit, inde Gratianopolim delatus, Sabaudia Ducem invisit. Solutu utriusque colloquio Rex ad castrum Pleffiaci prope Turones pervenit, ubi Commineo negotium dedit, ut de concordia cum Maximiliano ageret. At primos Commineo conatus fefellit eventus, Archiduce ad pacem flecti nescio; hic enim existimabat, Ludovicum XI. brevi moriturum, eoque fatis erepta Gallos cessione omnium, quæ Regi Burgundicæ Domui eripuisset, pacem redempturos. Quapropter vario obtentu quæsito ad concordiam redire curabat, spe sua non parum aucta ex cursorum relatione, qua Regem non minus animo, quam corpore graviter languere, identidem edocebatur.

§. LXXV.

Burgundicæ Ducissæ Maximiliani conjugis vivis erepta.

Comm. l. 6. c. 3. Attamen inopinatus casus consilia Archiducis evertit; quippe Burgundicæ Ducissæ ejus conjux mortalitatem eo tempore exuit, quo Maximiliani rebus benignior fortuna adspirare cœperat; hæc enim, cum venationi intenta esset, ex equo

*Not Comm.
tom. V. edit.
ult. pag. 271.*